

CANCEL:
MARTIS B:
1717:



zu 08

Se

Q. D. B. V.

A N

PRIMVS IN ORBE DEVM
FECERIT TIMOR ?

INDULTU AMPLISSIMAE
PHILOSOPHICAE FACULTATIS,
LIPSIENSIS ACADEMIAE,

PRO LOCO

IN EADEM RITE OBTINENDO,
DISQUIRIT

M. JO. DANIEL KIESLING,
D. XVIII. APRIL. A. MDCCXIV.

H. L. Q. C.

LIPSI AE,

LITTERIS ANDR. MARTINIS CHEDI.



O. D. B. N.
AN

PRIMUM IN ORBE DEVM
FECERIT TIMOR ?

INDULTU AMPLISSIMAE
PHILOSOPHICAE FACULTATIS
HARSINIENSIS ACADEMIAE

PRO LOCO

IN EADEM RITE OBTINENDO,
DISCURSIT

M. JO. DANIEL KIESLING,
D. XVII. APRIL. A. MDCCXIV.

H. V. G. C.

L I B R I A E

LITTERIS ANGE. MARTINIUSCHIEDL





AN PRIMVS IN ORBE DEVM FECERIT TIMOR?

S V M M A.

Saeculi nostri ge-
nius depingi-
tur §. I.
nstituti ratio,
§. II.
Summa argu-
mentorum pro DEI existen-
tia, §. III.

An ex idea DEI eius sit conclu-
denda existentia? §. IV.
Difficultates huius argumenti, §.
V.

An ex operibus creatis DEVS de-
monstretur? §. VI.
Epicuræorum objectio refuta-
tur, §. VII.

Huius argumenti difficultates
§. VIII.
An ex providentia argumenta-
ri liceat? §. IX.

Difficultates adduntur §. X.
Salomonis ea de re explicatur
sententia, §. XI.

Ratio circa providentiam con-

tra Naturalistas additur, §.
XII.

An Spiritus creati DEVM pro-
bent? §. XIII.

Cautelae circa obsessos, §. XIV.
Quid probent miracula, §. XV.

Difficultates huius argumen-
ti §. XVI.

Illustratur exemplo Pontificio-
rum, §. XVII.

Infringitur Naturalistarum ar-
gumentum, quod nunc mi-
racula non fiant, §. XVIII.

Timor cognitionis diuinæ pri-
mum constituitur fundamen-
tum, §. XIX.

Pauli sententia consulitur, §.
XX.

An dentur Athei disquiritur,
§. XXI.

Exempla Atheorum refelluntur,
§. XXII.

Propria quæ olim fuerit &
nunc sit de Atheis senten-
tia

<i>tia exponitur</i> , §. XXIII.	<i>Christianae religionis praestantia</i> , §. XXX.
<i>Invidia finxit Atheos</i> , §. XXIV.	<i>Papatus deformitas</i> , XXXI.
<i>Ut & superstitio</i> , §. XXV.	<i>Protestantium praerogativa</i> , §. XXXII.
<i>Cautelae, ne Atheus habearis, proponuntur</i> , §. XXVI.	<i>Et magistratus & verbi praecones DEI timorem promouent</i> , §. XXXIII.
<i>Dubietur, an quidquam sit in orbe idem</i> , §. XXVII.	<i>Cautelae circa concionatores observandae</i> , §. XXXIV.
<i>Origines Polytheismi, superstitutionis & idololatriae</i> , §. XXVIII.	<i>Finis cum annotatione & voto imponitur</i> , §. XXXV.
<i>Norma religionum examinandarum</i> , §. XXIX.	

§. I.

EA est nostri saeculi felicitas, ut major hominum pars, excussa superstitione, evidentissimo rationis lumine crebrius utantur. Quamquam & illud est fatendum, plures cum superstitione & fidem exuisse omnem, ut quanto magis suae innitantur sapientiae, tanto ab revelatione aberrant longius. Est illud commune mortalium vitium, ut uno euitato malo in deterius ruant. Adeo medium tenere difficile.

§. II.

Haec temporum necessitas me non tam mouit, quam impulit, ut sollicitè considerarem, quibus rationibus hisce leuioris notae hominibus obuiam iri possit, rejectis aut saltem in medio relictis iis, quae maioribus difficultatibus sunt obnoxiae. Nec enim turpe, rationum infirmitatem fateri, si meliores suppetant; estque tutius, veritate salua, non nihil indulgere, quam praëiudicatis opinionibus alterius animo omnem veritatis notam delere. Elegi proinde sententiam
aucto.

a) auctoribus oppido familiarem, quae *primum in orbe Deum timorem fecisse* censet. Tantum vero abest, ut vocabulorum in vulgus notorum discussionem sustineam, vt potius collatis aliorum sententiis demonstrarem, quousque timor omnibus communis DEI existentiam religionemque omnem stabiliat.

a) Reperitur in fragmentis, quae AKBITRO, purissimi sermonis impurissimo auctori, tribuuntur, itemque STATIO, notante Gyrardo LUCRETIO, aliisque, uti infra patebit.

§. III.

Infinitus fere est argumentorum numerus, uti autorum, pro religione qui scripserunt, proluxa series. Putarim vero, omnia huc ferme redire, ut ex *idea Dei, operibus creatis, providentia, spirituum existentia*, & aliis mirandis, neruum suae probationis ducant. Quam bene paucis nunc videndum.

§. IV.

Illud sane diffidendum non est plurimis vel saltem sapientioribus inesse quandam DEI notionem *b)* & ideam, quae ejus existentiam quodammodo testatur. Etenim dum illum ceu Ens summe perfectum humana mens sistit, necessaria quoque ejus existentia inde concludi posse videtur: In alio enim summas illas quaerimus perfectiones, quibus ipsi caremus.

b) Ita quidem censent CARTESIVS, Princip. Philos. Part. I. artic. 14. § 99. HENRICUS MORUS in Antidoto aduersus Atheismum & alii, Epicurum hoc in passu secuti.

§. V.

Quod si vero hanc sibi inesse ideam, alter petulanter neget, equidem quid proficiatur non video, nisi forsan illam *c)* innotam esse inepte contenderis. Hac etiam admissa idea Deum non tam existere quam posse exin probabitur. Siquidem varios per sensus acquirimus notiones, quae si compositae sibi inuicem consentiant, rei quidem possibilitatem, nul-

latenus vero existentiam arguunt, nisi noua quaedam suppetat ratio. Ita trianguli figuram possibilem esse, recte quis conjectauerit, ex illa quam de punctis, lineis & angulis hausit idea; dari vero nesciret, nisi expertus. Concipiamus porro, eximii roboris animal supra nubes habitare, quod suo halitu & incondita voce, fulgura tonitrua & tempestates concitet: Ineptum quidem non fuerit, ad possibilitatem, ridiculum vero ad existentiam ejus inde demonstrandum.

c) *Rectè contra illam disputat Jo. LOCKIUS, lib. 1. Titulum. de Intellectu humano, Cap. 4, art. 8, 199.*

§. VI.

DEUM esse eumq; creatorem O. M. haud exiguo sunt argumento omnes in mundo res & ipse homo. Horum enim omnium causam, quandam supremam fuisse, cum a se ipsa existere repugnet, quiuis facile suspicatur. Admirabilis profecto creaturarum ordo, pulchritudo, totq; hominis perfectiones, absque perfectiori quodam Ente vix intelligi possunt: Vel ut habet illud Chryssippi apud d) CICERONEM, quoniam est aliquid in rerum natura, quod ab homine effici non potest, est homine aliquid melius. Ita quidem censent plurimi, ex quibus e) CARTESIUM, LOCKIUM, & CLERICUM nominasse sufficiat.

d) *Lib. 3. de nat. Deor. p. m. 105. a. edit. Schrauel.*

e) *Cartesius Pr. Phil. P. 1. art. 20. Lockius fr. cit. L. 4, c. 10. & Clericus in Pneumatol. sect. 3. c. 1.*

§. VII.

Satis inepte hoc eludere conantur Philosophi, qui aeternam quandam materiam nugantur, cujus ex atomis, seu corporibus coecis, ut loquuntur, omnia fuerint creata, hodieque generentur. Audiamus f) T. LVCRETIUM CARVUM:

ita

*Ita formido mortaleis continet omneis ;
 Quod multa in terris fieri , caeloque tuentur :
 Quorum operum causas nulla ratione videre
 Possunt , ac fieri diuino Numine rentur ,
 Quas ob res , ubi uiderimus , nil posse creari
 De nihilo : tum , quod sequitur , iam rectius inde
 Perspiciemus , & unde queat res quaeque creari ,
 Et quo quaeque modo fiant sine opera Diuum .*

Ipsi , quòd loquuntur , forsan nesciunt . Sane nisi uel uniuersae materiae uel unius saltem atomi supremas DEI perfectiones concedant , ut tam elegantem in creando seruare potuerit ordinem , horum operum sufficiens nunquam aderit ratio . Atque ita quidem materia atomique DEI occupabunt locum . Taceo ineptias de materiae aeternitate , uix anicularum lucubratione dignas .

f) *De rerum natura . lib. I . p. m . 6 . edit. Amstel. A. 1626 .*

§. VIII.

Firmiter itaque tenendum est , omnium quae existunt causam dari nobiliorem : Licet enim omnes ea sagacitate animi non sint instructi , ut determinatum quoddam Ens inde perspiciant , tamen coniectabunt ad minimum . Concipiant *Anaximandri* orbis innumerabiles , quorum unus producat alterum : oggerant alij , uti quis ultimus in arithmeticeis numerus , & prima in materia secunda atomus , aequae omnes ignorant , ita in perscrutatione causarum hujus mundi primam deprehendi uix posse , tamen parum hic lucrifaciant , nisi forsan illud , adeo distincte DEUM inde non patere .

§. IX.

Conseruationem porro rerum si spectemus , difficile haud est , de Ente horum omnium curam agente , conjicere . Nec enim ea nos instructos esse facultate sentimus , ut proli-
 bitu

bitu nosmet ipsi sustentare valeamus, alias quam diutissime superessemus. Atque inde demum conficitur, hanc providendi potentiam, superiori cuidam g) Enti competere.

g) Ita *CARTESIVS* l. c. art. 11.

§. X.

Repugnare hic videntur contraria proborum & improborum fata. Nam quos justissimos h) experimur, durissimis plerumque calamitatibus obnoxios videmus, dum iniquiores fatis aequa fruuntur fortuna, Saniores quidem gentiles, quibus i) *L. ANNAEVM SENECAM* accenseo, variis hic occurrunt rationibus: Patrium habere *DEUM* aduersus bonos animum, & illos fortius amare, quo magis doloribus & damnis exagitentur, tunc demum adparere, quanta sit, quantum valeat polleatque, cum quid possit patientia. Quamquam nec pauci k) providentiam praefracte negasse feruntur, eo quod vix capeant, quomodo optimus parens dirisimis & saepe ad mortem suos liberos exerceret afflictionibus; adeo ut ad prosperam aduersamue fortunam, qualis sis, aut quemadmodum vixeris, nihil interesse putarent.

h) Pietatem habere promissionem huius & futuri saeculi *S. Paulus* adfirmat, idque non tam de fortuna temporali quam spiritali consolatione, quam sibi vel claratio ignorat, valere manifestum est.

i) Quare bonis Viris mala accidant, cum sit providentia, integro existat *Senecae libellus, oper. Tom. 1.*

k) Epicuracorum schola hic vulgo prodancitur, cuius auctor ea propter & Absolutissimi incusatur, quem detestandae invidiae causa celaverit, vis *Posidonius*, & ex eo *CICERO de nat. Deor. acriter fati disputat.* Illud certum, Deo providentiam Epicurum abstulisse, quod summam voluptatis & otis perfectionem ipsi tribueret. Eo tamen videtur potius molestas curas & imperfectiones a Dei natura removere voluisse, quam omnem omnino benignam mortalium curam negare. Ita *L.PCRETIVS* fidelissimus Epicuri interpretas: Om-

Omnis enim per se Divum natura necesse est
 Immortali aëvo summa cum pace fruatur,
 Semota à nostris rebus, sejunctaque longe.
 Nam privata dolore omni, privata periclis,
 Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
 Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Lib. I. de rer. nat. p. m. 4. & L. II, p. 42. Nec vero dissitendum,
 acerba justorum fata ipsi providentiam dubiam reddidisse, adeo ut
 minora DEOS negligere, neque agellos singulorum, nec viticu-
 las persequi, adseueraret; eaque propter sollicitè refellitur
 LACTANTIO Lib. III. c. 17. Instit. divin. Quamquam talia
 imperitis quibusdam ejus sectatoribus potius tribuenda videntur:
 Libri enim, quos de sanctitate vitae, & pietate adversus Deos
 conscripsit meliora sine dubio docuerunt. Vid. tamen STANLE-
 YI Hist. Phil. Tom. II. Part. XII. Sect. II. Cap. V.

§. XI.

Eo quoque mihi comparata videntur, quæ sapientis-
 mus, 1) SALOMO pronunciat: Eadem esse brutorum &
 hominum fata eundem interitum, eandem animam, ju-
 stos impiorum, & impios justorum frui fatiis. Ut vel exin-
 de pateat, heic saltem Salomonem indicare philosophiæ ra-
 tionisque lumini hæc fatiis perspecta non esse.

1) *Cobel. III, 19. 199. Cap. VIII, 14, 15.*

§. XII.

Ideo vero tam diversam providentiæ faciendam DEVS
 apparere sinit, ut quam liberrime homines agant & senti-
 ant, nec cogantur unquam tam manifestis providentiæ
 testimoniis vel ad bonum vel ad malum. Id quod tum DEI
 sapientiam, tum hominum libertatem & præstantiam mire
 ostendit.

B

§. XIII.

§. XIII.

Nescio, an *m*) Spiritus seu boni seu mali pro DEI existentia in subsidium vocari queant, eo quod illorum existentia ex naturae lumine satis clare demonstrari nequit. Sive enim ostendantur, sive per evidentes demonstrationes evincantur, durum utrumque fuerit. Ostendi hactenus non possunt, quo forsitan compellerentur ad alteram sententiam plurimi; Nec firmiter satis demonstrantur, dum varii effectus dubiaque phaenomena maximam harum probationum partem implent, quae non raro meliorem admittunt interpretationem.

m) *Prolixe hoc argumento nititur HENRICVS MORVS in Antidoto adversus Atheismum.*

§. XIV.

Exemplø sint nobis obsessi, ut adpareat, quam foede hic saepe suis labent iudiciis mortales, Turpiter imprimis errant, dum ea ceu certa & admirabilia supponunt, quae miseri illi in paroxysmo & ferali furore & egerunt & dixerunt, colliguntque quae forte fortuna cum quadam veritatis specie aegri phantasia protrudit, omissis vel non observatis innumerabilibus mendaciis stolidissimis, quae interseruntur. Ita saepe unica in mille nugis emicat veritas,

§. XV.

Mirabilia DEI sunt opera, imprimisque ea, quae miraculorum nomine veniunt. Haec namque quo longius receptas naturae *n*) leges & ordinem excedunt, eo magis stupore mortalium animos obruunt. Ita quidem fit, ut dum ista timidius stupent, de supremo Numine facilius cogitent,

n) *Conf. si placet Patris mei Disp. de Motu qui secundum eum qui supra naturam est, Sect. Post. (h. ubi illam A, 17 et sum quidam a-
pud*

*pud Erfordenses Pastor & Professor } & CLERICVS Pneumat.
Sect. III. Cap. VIII*

§. XVI.

Et recte quidem saniorum animi portentis corroborantur, licet perversiores hac ratione haut edoceantur meliora. Miracula profecto his occasionem de o) DEO cogitandi suppeditant, dum horrore mortales corripiunt, ut animum curatius advertant, quod vero ineluctabile sint argumentum, id quidem nec dixerim nec senserim. Etenim vix ullum tam stupendum accidere potest prodigium, quin aliter exceperit, ex causis mere naturalibus id factum esse, licet plerique suam ob ignorantiam factique raritatem illud ceu singulare & extraordinarium suspiciant. Nec parum huc confert, quod saepe vel impudentissimae fraudes eximiam apud imperitum vulgus consequantur venerationem, eo quod causas rerum plurimi ignorant turpiter.

o) Inepte mihi quidem SPINOSA argumentari videtur, in Tr. Theol. Político, Cap. VI. p. 71. miracula prout vulgo explicantur, DEi existentiam dubiam reddere. Posito enim, esse miraculum opus, quod naturae ordini repugnet, requiritur necessario Ens natura majus, quod hunc ordinem turbet. Id quidem non negaverim, gentilium prodigia, quorum plura Livius & Valer. Maximus recensent, DEi naturam magis sustulisse quam firmasse, quoniam fraudibus emanabant, & in meram tendebant superstitionem.

§. XVII.

Sumamus Pontificium, ut formidolosi sui purgatorii fidem faciat, in caemeterio propter sepulcra cancos cereis ardentibus instructos nocturna tempestate ponere. Per-suaserit superstitionis plebi, animas defunctorum purgato-

rii flammās tolerantēs apparere; quod prodigium eo valeat, ut sibi indulgentias emant, missasque solvant pro defunctorum animabus, ita enim ferales hos evitari ignes. Plebique pio credent animo, uti sexcentis fraudibus aliis, pro quibus vel vitam profligaret plebs incondita.

§. XVIII.

Nescio proinde, quo pestilenti sidere afflati sint, quidam religionis cavillatores, dum portenta & prodigia deponunt, omnemque in scriptura relatis fidem miraculis derogant, quod talia nec viderint nec hactenus patrari audiant. Crediderim nasutulos illos nec Christo fidem adhibituros, si aquam in vinum commutaret; Exciperent, forsitan aromata aut tale quidpiam adhaesisse vrcis, quod aqua vini & odorem & saporem coloremque mentiatur.

§. XIX.

Hactenus commemorata singula uti ad confirmandum pereximia, ita ad primam DEi cognitionem ingenerandum haud perinde idonea. Proin primum & tutissimum fundamentum timor omnibus p) communis, recte existimatur; Conscientiam profecto & sensum illum DEI internum quivis reconditum tenet, ita ut non possit ad clarissimum hoc lumen caligare. Nec vero tam rudem illum periculorum timorem & horrorem intenderim, quam sublimiorem istum, quo omnes ad rationem nostrarum actionum habendam movemur. Ita enim cum formidine saltem interna turpia perpetrant mortales, ut manifeste satis prodant, revereri se quendam superiorem iudicem, qui nobis est DEVS.

p) Differt ab idea innata, ut appetitus a cognitione huius vel illius cibi.

§. XX.

§. XX.

Nec putem *γνωσόν* illud τὸ θεῶν, quod ḡ) Apostolus in omnibus *Φανερόν* pronuntiat, aliud quidpiam esse, quam internum DEI sensum & reverentiam. Hac enim supposita ex operibus & creaturis facile colligitur DEI eminentia, *διναμῆς* nempe & *θεϊότητος*.

ḡ) Rom. II, 19. 20. §. XXI.

Facillimo inde negotio conficitur, nullos existisse ul-
libi r) Atheos nec extare nec existuros umquam. Hic
namque timor omnibus ita est familiaris, ut illum excute-
re prorsus omnino non possint. Et si vel maxime de DEO
interdum dubitarint ad tempus plures, tamen Athei pro-
pterea non erunt, nisi & omnes orthodoxi haeretici sint ap-
pellandi, eo quod olim plurimorum fidei articulorum adeo
certi non fuerint, quin interdum quaedam obreperet du-
bitatio. Et quomodo illud quis serio negaverit, in quo
vivit, moveretur & spirat? Taceo, contra manifestam id
s) revelationem pugnare.

r) Proprie dicuntur Athei, qui illum omnino DEUM existere ne-
gant. Improprie et per abusum vocantur, qui, quasi nullus esset
DEUS, vivunt. Illi, Theoretici, solum finguntur; Hi vero Practici,
ita adpellari quodammodo possunt.

s) Vid. Aët. XVII, 27. 28. coll. Rom. I.

§. XXII.

Producuntur quidem t) integrae gentes, Brasilienses,
Soldanienses, Caribaci, Callaici, Cafri, Mariani, item-
que Philosophorum inlustriores Protagoras, Diagoras Meli-
us et Theodorus Cyrenaicus, qui Deum esse feruntur pa-
lam negasse, sed mea sententia, apte non satis. Etenim
qui has incognitas primi adierunt Gentes, Atheismi notam
ipsis inusserunt, quod nulla idola nullumque externum
DEI

DEi cultum apud illas obseruarent, vel quod illarum religionem tacitam non satis intelligerent. His vero philosophis ab incondita plebe et imperitis sociis iniuriam esse inlatam, vti perspicacioribus hodieque accidit ingenis, probatu *u*) ad eo difficile non foret.

e) Agit id LOCKIUS in Tent. de Intell. hum. Lib. I. C. IV. art. 8. § 7. et ex eo Cl. RVDIGERVS de sensu veri et falsi Lib. I. C. II. §. 18.

u) Hos quidem Philosophos CICERO Atheis accensit. Lib. I. de nat. Deor. Enimvero, si ita iudicare liceat, ipsum Ciceronem Atheum appellare non erubescerem: Omnia enim, quae de Deo afferuntur, dubie ventilat, nec vnumquam certi quid determinat, quod optime sub dialogorum specie ludere potuit. PROTAGORAS Deos sc. Ethnicorum esse dubitauerat saltem, posteratque in principio cuiusdam libri: De Diis neque vsint, neque vt non sint, habeo dicere. Cuius primis essentiam Dei sibi ignotam esse fatebatur, dum se non habere de Diis, aiebat, quod liqueat et quales sint; propter quae ab Atheniensibus et vrbe et agro est exterminatus, eiusque libri combusti, fasente Tullio l. c. p. 116 5. a. 1168. a. 1171. a. Eadem prorsus reliquorum fuit ratio, qui vulgo Athei dicebantur: THEODORVS certe, quantum ex Laertio et Suida constat, Pyrrhonis innutritus disciplinae, sociorum praecudicia in dubium vocarat, et vanitatem Deorum gentilium caeperat, inde per inuidiam omnem Dei naturam sustulisse censetur. Conf. et STANLEII Hist. Phil. Tom. I. Part. III. p. 257. 191.

§. XXIII.

In eadem quoque olim fui opinione, verum id piecuidam simplicitati erat tribuendum, quod liberius et sentientes et viuentes, omnem statim religionem funditus tollere putarem. Atheos dari crederem, si omnem honesti et turpis sensum, omnem conscientiam et timorem, omnemque

que supplicii metum ad mortem vsque exuere possent mor-
tales. Recte x) *LVCRETIVS*:

- - - si certam finem esse viderent

Aerumnarum homines; aliqua ratione valerent
Relligionibus, atque minis obsistere vatum.

Nunc ratio nulla est restandi nulla facultas.

Aeternas quoniam poenas in morte timendum.

x) *De rerum, nat. Lib. 1.*

§. XXIV.

Effraena, vero calumniandi libido oppido multos fin-
xit Atheos, imprimisque eruditos inter, quorum semper fu-
it dicacitas maxima et theonius dens proprius, eo quod sua
tantum quisque miratur. Perpetua enim eminentioris in-
genii invidia comes, vt *Velleius* habet, omnes eosque peri-
culosissimos opprimendi modos anquirat. Inde auctiora in-
genia, virosque ad magna exsurgentes, qui disiecta omni
praeiudiciorum et superstitionum caterua, rerum causas in-
timitus scrutantur, infensissimo Atheorum nomine traducunt.
Sunt hi latrones omnium maxime cauendi, qui vitae, fa-
mae et decori virorum innocentissimorum insidiantur im-
pune.

§. XXV.

Est et alia quaedam huius conuitii ratio.
Plurimorum is mos est prauissimus, vt quae sibi
patratu forte sint impossibilia, seu physica quae-
dam necessitas, seu anxium quoddam decori obstiterit stu-
dium, ea teu gravissima delicta in aliis censeant acerrime.
Igitur his omnes sunt Athei, qui non eodem austero & su-
perstitioso utuntur vitae genere: Iidemque vix cogitant,
omnem liciti & illiciti rationem ex superiorum praeceptis
dijū.

dijudicari. Eaque proinde licita censenda erant, quae ne-
revelatio, nec magistratus vel legibus expressis vel exemplis
[vel evidentibus consequentis] interdixerint; Illicita contra,
quae & legibus prohibuerint, & proprio fuerint detestati
exemplo.

§. XXVI.

Prudentis igitur est omnibus hanc infamiam abs se vi-
ribus amoliri. Quod facile adsequetur, modo communem
subruere religionem caveat, ni manifestae istam absurdi-
tatis ream agere queat, semperque sint in promptu, quae &
majorem veritatis speciem & animi tranquillitatem pollice-
antur. Hoc, quantum scio, nemo haecenus praestare po-
tuit, de religione Lutherana. Imprimis vero receptas vulgi o-
piones imperitoribus coram non vellicet. Mores suis con-
ciuibus vsitatos quacunq; teneat ratione, nec facile quae sua sit
sententia quis vivendi modus, propaler. Alias plebis si studium
contemserit, & nescierit dissimulare, irreligiosissimus
Atheus propalam audier. Insulforum enim seniper in or-
be maxima est multitudo, inde quoque fit, ur odium &
invidia apud plurimos valeat, ut recte monet Tacitus, An-
nal. III. 10. Nec tam facile diluitur, quam contrahitur cri-
men.

§. XXVII.

Tantum vero abest, ut in viso hoc nomine ullum o-
nerare sustineam, ut serio dubitem, num quidquam sit in
orbe a Deo. Sane cum DEum omnes aequae celebrent cre-
aturae, & imprimis coruorum pulli, uti reliqua animantia
ipsum devota implorent voce, manifeste satis patet, & bru-
tis animalibus omnem omnino DEi cognitionem denegan-
dam haud esse. Id quod non tam hominum derogat ex-
cellentiae, quam DEI pandit gloriam,

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Sed enim vero vnde ista πολυθεΐης, superstitio & idolatria in mundo? Et gens humana, quaesieris cum γ)
HORATIO,

Quone malo mentem concussa?

Responderim eodem interprete: TIMORE. Est enim spurius quidam in mortalibus periculorum & infortuniorum metus, quorum singulorum singulos sibi patronos deligere non dubitant. Accedit & illud, quod de DEi essentia & attributis tot sint opiniones, quot capita, ut adeo non possint non pro variis DEum concipiendi modis, varios constituere Deos. Hoc quidem sensu non male PETRONIUS, in fragmentis:

*Primus in orbe Deos fecit, timor: ardua coelo
Fulmina cum caderent, discussaque moenia flammis,
Atque ictus flagraret Athos, mox Phoebus adortus
Lustrata deiectus humo, Lunaeque senectus,
Et reparatus honos: hinc signa effusa per orbem,
Ut permutatis disiunctus mensibus annus
Proiecit vicium hoc: atque error ius sit inanis
Agricolae primos Cerevi dare messis honores:
Palmitibus plenis Bacchum vincere: Palemque
Pastorum gaudere manus. Natat obrutus, omni
Neptunus demersus aqua: Pallasque cavernas
Vindicat. Et voti reus, et qui vendidit orbem,
Iam sibi, quisque Deos avido certamine fingit.*

γ) Satir., Lib. II, Sat. III.

§. XXIX.

Igitur quanto plus religionibus spurii huius timoris
C im-

immixtum est, tanto ineptiores merito habentur. Ita *Gentilismus*, *Iudaismus* et *Mabometismus* iure videntur, quod primum harum religionum est fundamentum, superstitio et inanis timor. Vt adeo facile hi conuertantur, modo ipsis solide demonstretur, quam nauci et nihili sint, quae timeant.

§. XXX.

Christiana contra religio ea propter longissime anteferenda censetur, quod excusso vano metu et superstitione, ingenuum quendam hominibus incutit timorem. Adeo namque simplex, libera et rationalis est, vt ad DEVM tantum eiusque amorem homines alliciat, relictis horridis caeremoniis et ritibus. Paucis genuinum eius est principium timor filialis.

§. XXXI.

Ridicula vero et inepta est *Papaea* religio, eo quod tota est congeries superstitionum Iudaicarum et Ethnicarum fraudum, quae eo solum tendunt, vt z) eminentiorem quendam dominatum ad coercendos plebis animos stabiliant et conferuent. Vnde non potest non fieri, vt si caduca ista terriculamenta, purgatorium, sanctorum reliquias, et quae sunt eius generis plura, saniores deprehendant, Papatum ceu cultum irrationalem, superstitiosum, et totum vulgo subigendo aptum inludant.

z) *Conf. Ill. PUFENDO RFFII* Introd. in Hist. Cap. XII. *si que placet, meae. Dissertationes de Artibus Episcopi Romani in stabilienda et conseruanda Monarchia.*

§. XXXII.

Melior profecto *Euangelicis* seu *Protestantibus*, quos vocant, contigit religio. Abhorret ista omnibus fraudibus et ineptis Iudib. iis, quibus et terretur et corrumpitur micrum vulgus. Reiecto omni humano in conscientias im-

pe-

perio, simplicissimas de DEO fouet sententias, et ingenuam DEI reuerentiam et timorem vrget.

§. XXXIII.

Huic timori in animis hominum rite ordinando apprime inferuiunt verbi praecones. Vt enim salua sit respublica singulorumque consortium, recte Magistratus legibus, poenis et suppliciis corporalibus cauet, dum Concionatores animae periculum vrgent, illumque et excitant et augent timorem.


§. XXXIV.

Uti vero timor iste crassior in rudioribus, in politioribus subtilior, ita illis acerbiores, his vero mitiores & elegantiores caeteris paribus sunt adhibendi praecones. Immitem agitet plebem rigidus orator, legis spargat fulmina, metumque futurorum inritet ubique. In aula & apud cultiores quosvis praefat & doctrina & voce suavis, qui bonis gratis melleisque fluuiis omnia ista persuadeat. Inueniat, quod quisque velit. Non enim eodem omnium componuntur animi modo.

§. XXXV.

Sunt haec, quae naturae lumen de religione capit. Quae uti revelatione longe inferiora, ita cedunt illi merito, à ultra quam licet, nitantur. Hanc enim quod euelet id nec dictum nec scriptum esto! Caeterum cares hic nonnullis, B.L. quae forsàn uberiolem affuderint lucem, sed illa imperarunt temporum fata omittere. Dum finio haec saltem nuncupo vota, ut timeant DEum omnes gentes!

S. D. G.



00 A 6280


ULB Halle 3
002 828 09X



Sb.

reha







32

Q. D. B. V.
A N
**PRIMVS IN ORBE DEVM
FECERIT TIMOR ?**
INDULTU AMPLISSIMAE
PHILOSOPHICAE FACULTATIS,
LIPSIENSIS ACADEMIAE,
PRO LOCO
IN EADEM RITE OBTINENDO,
DISQUIRIT
M. JO. DANIEL KIESLING,
D. XVIII. APRIL. A. MDCCXIV.
H. L. Q. C.
LIPSI AE,
LITTERIS ANDR. MARTINIS CHEDI.

